ANTONII IVSTINIANI ROCCATALIATÆ AD BENEDICTVM RVSCAM SCRIBA

CVIVSDAM SCRIBAE SVMNIVM AD NICOLAVM ZIGNAIGVM EODEM AVTORE.

BELLONA



GENVAE.

Hieronymo Pallauicino Coronato, Et
Vincentio Grillo biſcoto Anto-
nius Iuſtinianus Rocca
taliata. S.

SCripſi ſuperioribus menſibus amicorũ ſuauiſsimi, ſermones hos, quos cũ Benedicto Franciſcus habuit: illoſq; domi retinere decreueram, & in lucem exire minime pati. Nec deerant cauſæ, & quidem multæ, ad id animum meum compellentes. Nam primùm quod inter ioca factum fuerat, tanquã ſeriò factum omnibus demonſtrare equum eſſe non putabam: non quod laudes à me ſcribis attributæ, illis non ſerio, ſed ioco competerent: ſed quia tanta erat ſcribarum, eorumq; artis excellentia, & præſtantia, quod fieri non poſſe clare videbam, hominem licet facundiſsimum, laudes eorum omnes animo cõprehendere,

ne dum lingua exprimere, & calamo scri-
bere posse. Quod ego animo voluens, &
scribarum laudes cõprehendere posse dif-
fidens, quasi ioco id agebam. Postremò non
parum me terrebat horatiana lex, quæ
quod scriptum est in nonum præmi annum
iubet, nihilq; homines ædere, nisi quod mul
ta dies, & litura cohercuerit, atq; ad vn-
guem perfectum decies castigauerit. Nam
ego scribam hunc, ne dum in nonum annũ,
sed nec in nonum mensem, apud me reti-
nueram. Tamen vnica tantũ ratio (mul-
tas alias pretermitto) sententiam meam
mutare potis fuit. Cum enim viderem ta-
bellionis artem ad imum, nostræ vrbis ar-
tium ruere locum, multosq; nostri temporis
scribas, & si doctißimos, labentem non
adiuuare, non potui aliquid non scribere:
vt saltim alios, qui meliora scribere pos-
sunt, aliquantulum expergiscerem. Acce-
dit ad hæc, quod cum ego frigidulos hos
meos (vt poetice loquar) labores, tum ipsi
benedicto, tum Ioanni nostro legendos de-
derim, hi me ad illos in lucem proferendos
magnopere hortati sunt, & ab hortatio-
nibus ad præces continuas descenderunt.
Quis enim consanguineo, amicoq; talia pe-
tentibus, abnuisset? Quapropter quod pro-
posueram mutare necesse fuit, & has stu-
diorũ meorũ primitias, quales quales sint,
edere. Cumq; iam deliberatus animo vo-
luerem, cui nam eas dedicarem, vos præ
cæteris occurristis: Cui enim scribarum lau
des, potius quã scribis, scribẽdæ sunt? et quis
scribã potius quàm scriba defendet? Pro
cõperto enim habeo, cum primùm in lucem
exierint, multos illarum, futuros esse non
æquos iudices, imo potius maleuolos calũ-
niatores. Nam quosdam (hi vobis notis
sunt) viuere scio, in quibus licet ab omni-

bus mendacium, falsitasq́ in exiliú relegata esset, reperiretur, incontinentiæ, inconstantiæ, & pessimis moribus coniuncta, & (quod omnibus alijs potius quam ipsis conuenit) maledicẽtiæ, sui ipsius exaltationi, & gloriæ, & cæterorum omnium vilipendio. At ego voces illorum omnes nihili faciam, tantumq́ humanas scribarum sententias expectabo, qui horatianum illud legerunt, & quandoq́ bonus dormitat homerus. Sed ne me iam victum putent, illud sciant, non licere ipsis iure scripta mea reprehendere, nisi prius & ipsi scriptum aliquod edant, quod similiter ego reprehendere possim, si reprehensione dignum erit, tunc enim clarissime ab omnibus videbitur, vter nostrum acriori reprehensione dignior sit quod nunc videri nequit. Cæterum quantum ad me attinet scribarum laudes ita descripsi, vt

propter ingenij mei imbecilitatem, reiq́ magnitudinem, & temporis breuitatem, neq́ ornatius dicere, neq́ clarius explicare possem, vos autem scribam meum, (qui vestro nomine insignitus se videri pmittet, vt tutius faciliusq́ vndecumq́ euadat) accipite, amoris, beneuolentiæq́ nostræ pignus, illumq́ vestrum (nam amicorum communia sunt omnia) defendite, valete ex ædibus nostris Sexto Calendas Iunij Anno a deiparæ virginis partu.

M. D. LVI.

VINCENTII GRILLI BISCOTI AD LECTORES.

MAgnos qui orditur præclara Ianidos arte
Libros, hæc nobis munera parua dedit:
Quiq; etiam potuit corsorum ordire cruenta
Bella, & magnanimûm fortia facta virûm,
Terribilesq; acie milites, belliq; labores,
Nunc scribas omnes scribere iure docet,
Accipite at scribam mente hunc, animoq; quietis,
Illa expectantes maxima, næq; sua,

PRAEFATIO AD SCRIBAS.

DVO hominum genera à summis philosophis numerata sunt, quorum post corporis mortem, vitam ingredientes animæ, sursum feruntur, beatitudineq; fruũtur, & cælesti habitaculo: Alterum nempe Philosophi sunt, qui rerum diuinarum sapientiam sequentes, superna mentis acie requirunt, & sagaci diligentia comprehẽdunt, & quantum viuentis perspicuitas præstat, imitantur, quiq; mundum istum, & omnia quæ mundo insunt, diuinorum contemplatione despiciunt, omnemq; animæ cogitationem in sola diuina dirigunt: Alterum vero ciuitatum moderatores, qui sui primùm, deinde rerum publicarũ rectores sunt, vrbes tuentur, ciuium salutem, humanaq; omnia gubernant, socios prouidentia protegunt, & iusta liberalitate deuinciunt, humanisq; actibus prouidẽt virtutibus, tãquã diuinis arbitris, nec cælestia deserunt. Sed nos merito tertiũ adiũgere possumus nobilissimũ genus hominũ, scribas scilicet: ipsi nãq; partes habẽt priores, ꝑfectioresq; quàm Philosophi, quàm ciuitatũ moderatores. Si enim nõ ijdẽ sunt Philosophi, & ciuitatum rectores, eorum vtriq; virtutes aliquas habẽt, quas alteri

minime, scribæ autē omnes amborū virtutes: restat quod scribæ beatiorē vitā agāt, faciliusq; in cælum tendant, ipsi quoniam Philosophi sunt, nam sapiētes, & ciuitatū rectores, nam tota fides qua homines inter sese coniuncti sunt, vrbes regūtur, omnes magistratui parent, ab his proficiscitur. Nec hoc eo fieri non posse credendum est, quod alteri eorū nihil pendāt id, quod alteris necessariū est: vt sunt diuitiæ quibus carens cōtēplatiuus perfectus esse potest, actiuus vero minime: liberalis enim absq; diuitijs esse nequit. Nam scriba qui medius est inter actiuū, & contemplatiuū, potest ita vnius ad alterius virtutes accōmodare, vt vterq; sit, & nullū deserere videatur. Quare ab omnibus nobis potißime curādū est, vt veri euadamus scribæ, nā viuētes deū interris imitabimnr, & mortui dei contemplatione fruemur.

ANTONII IVSTINIANI ROCCATALIATÆ AD BENEDICTVM RVSCAM SCRIBA.



VDIVISTI sepius Benedicite rusca tum me, tum plures alios, tum præcipue Franciscum tuum, (scis quem dico) nobilißimam scribarum artem, aduersus calumniatores instantes acriter, illamq; contemnentes, vituperantes, & inuidiam ad populum adducentes, defendentem, & pluribus argumentis demonstrantem, illam non in infimas, (vt ipsi volebant) sed in prestantißimas, & nobilißimas, nedum vrbis nostre, sed totius terrarum orbis artes, & scientias, ascribendam esse, illisq; annumerandā. Idq; non semel, & aduersus vnum, sed pluries, & aduersus plurimos, tùm praua opinione inductos, tùm captiosis rationibus astrictos, & non ijsdem semper argumentis, & rationibus, at nunc vna, nunc alia, quæ potißima tunc illi mihiq; succurrebat. Sed cum hæc nullo pene ordine audiuisses, petijsti a nobis, vt cum a quotidianis nostris curis, & negotijs aliquid otij nacti essemus, omnia, quæ ad tabellionum, notariorumq; artem pertinentia confuse audiueras, ordine distributa tibi replicaremus: Quod illi gratißimum fuit, quodq; libentißime facere promisit. Et Ideo præteritis diebus, dum omnibus insaniendi tempus esse videretur, & nos à negotijs vacui essemus, te annuente, & petente quod promiserat executus est, & om-

nia quę ad tabellionum defensionem, & laudem pertinere pu- tauit, illi* succurrerunt, me presente, tibi quo potuit ordine narrauit: tibi inquam, qui accusatoris, & calumniatoris per- sonam inductus fueras, non quod artis nobilissime calumniator esses, nec quod de ea optimè non sentires: sed vt illi plura te ad- iuuante succurrerent, & vt omnia in artem argumenta, quæ adiueras, confutare posset, si eorum omnium non meminisset. Quare cum ferè omnes iocis, saltationibusq; indulgerent, vos hæc tractauistis, & locuti estis: quamq; facilè Franciscus no- tarios defenderit, argumentaq; aduersariorum in ipsos retor- querit, quamq; facillimè & iustissimè nobilitatem, decus, ex- cellentiamq; aut potius, (hoc tandem dicere audeam) diuinita- tem artis huius ostenderit scis. Quæ tanta te affecerunt dele- ctatione, & gaudio, vt tuis precibus, aut illa iterum me tibi replicare, aut (quod tibi gratius futurum erat) literis mandare premiserim. Sed nullum postea tempus nobis datum est à ne- gotijs vacuum, qua de re nec illa tibi replicare, nec literis man- dare potui. Nunc autem (nam aliquantulū ocij nacti sumus) vt voluntati tuæ moremgeram, illa ipsa ad te scribere decre- ui, Quod procul dubio non fecissem, nisi arti nostrę aliquo pre- senti remedio opus esse, aut illam breui omnino pessum iturā cognouissem. Et licet ego non sperem solus artem nostram a maledicorū linguis defendere, & eā humi iacentē, & repētē (vt ita loquar) ad cœlum tollere, tamen me maligni, & auari animi labem fugere posse non diffido: Cum non solum igno- minia, & dedecore notentur illi, qui rogati alijs non benefa- ciunt, sed etiam illi, qui necessitatem videntes animum suum sponte non monent, ad indigentibus opem ferendam. Quod si artem nostram nulla alia in re adiuuauero, illud forsam non parum erit meis viribus cæteris viam apperuisse. Cum tamen

(licet aduersarij tot tam temere, inepte, & inconstanter maledicta proferrent) nihil honori notariorum detraherent. Nam clarè videbatur, illos nimia calumniandi auiditate obcæ- catos, sibi non constare. Cum enim tam importuna, tanq; au- daci, ac proterua lingua in notarios inuehebantur, manifestum erat omnibus, se non aliquo iudicio, sed temerario quodam im- petu, in tātam verborum obscœnitatem prorumpere. Quorum ego dicta fœda, turpia, flagitiosa, & nefanda non referam, sed tantum argumenta illa, quæ speciem aliquam veritatis habēt, & quæ tu aduersus scribas defendente Francisco protulisti. Nec illa prætermittam, vt que scribis aliquid noceant, sed quia illa ipsa tu non retulisti, & ne te, aliosq; his maledictis obtun- dam. Nam quantum ad scribas attinet, (vt ait phauorinus) præstat grauiter, & supra modum vituperari, quam exiguè frigideq; laudari. Qui enim maledicit, & vituperat, quanto id acerbius facit, tanto magis se inimicum ostendit, & propte- rea non meretur fidem, sed qui ieiunè, & exiguè laudat ami- cus quidem videtur esse eius, quod laudat, sed nihil in eo, quod vere laudare possit inuenire. Et, vt facilius quæ dixistis intelli- gantur iustioriq; que ordine procedant, illa perinde scribam, ac si res nunc inter vos ageretur: & te (illius enim personam inductus fueras) artis calumniatorē, veritatis ve potius exqui- sitorem depingam & hoc modo sermonem inter vos incipiā. BENEDICTVS, pessima nostra est conditio Fran- cisce, quod scribas esse querimus, Et quod talem sortiti sumus artem, quæ est artium omnium pessima. FRANCI- SCVS. imo optima nostra est conditio Benedicte, quod tales fieri studemus, sed quare scribarum ars est pessima? BENE. Sexcenta sunt argumenta, quibus hoc demonstrare possem, at vnum sufficiat, quod serui publici sunt scribę. Sed

postpositis disputationibus, & ne sermonem tuum interrogã-do interrumpam, velem, vt ea mihi recitares, & diceres, quæ iam promisisti, artemq; notariorum quantisuis & potes extol-leres laudibus, Nam si mihi illam demonstraueris, quam de-mõstrare dixisti, audacius institutũ meũ prosequar. FRAN. ita vt dicis faciam, sed siquid tibi occurret dubij, sane oppor-tunum erit, me de illo certiorem reddi, & si aliquid te interro-gabo, mihi respondere. BENE. ab superbi esset Francisce hoc non facere. FRAN. sedeamus igitur, nam sedens ho-mo quietioris est animi, & quiescens animus (vt inquit Phi-losophus) prudentior est non quiescente. BENE. sedeamus, & sicut ego me audiendum compono, ita tute ad dicendum, & si tibi videtur iam incipe. FRAN. antequam de scri-bis verba faciamus, necessarium est prius scribam definire, de-indiuidere: nam prius quid sit de quo tractaturi sumus, opus est intelligere: nec in demonstrando scribam esse immoror, nã hoc omnibus notum est: dataq; opera illos dicere pretermitto, qui scribas, & notarios, seu tabelliones creare possunt: Licet non parua laus notarijs hinc attribui posset. Nam à Summo Pontifice Imperatore, regibus, & rerum publicarum patribus creantur, quod eorum dignitatem profectò demonstrat priusq; fortaßè non erit incongruum, artis nostræ finẽ cognoscere, nã cognito fine, facilius alia & cognoscuntur, & intelliguntur: cum omnia quæ inarte considerantur, ad artis finem precipuè dirrigantur, cumq; omnium primus finis, & solus moueat agẽ-tem. Artis autem nostræ finis, vt etiam ex postea dicendis cla-rißime patebit, fides, & salus publica, priuataq; est. Nam om-nes artis actiones, illo tendunt, & dirriguntur: & vt iam inci-piam, cum omnes artes, & scientiæ ad hominum felicitatem, trã-quillitatem, beatitudinemq; causandam inuente, sint, vt est om-nium ferè Philosophantium comunis consensus, illa potißimum siue ars sit, siue scientia, cæteris tanto nobilior, præstantior, & excellentior est, quanto adipsas fælicitatem, tranquillitatemq; acquirendam, maius hominibus auxilium, maioremq; vtilitatem confert. Hinc artem nostram cæteris præstantiorem, nobilio-remq; procul dubio, tùm propter ipsam vtilitatem, tùm pro-pter artis finem, qui idem ferè cum vtilitate est, probare possu-mus. Nam si considerabimus illius finem, qui (vt dixi) fides, & salus est omnium, videbimus artem ipsam, inter alias, tùm sciẽ-tias, tùm artes splendescere, & vt lunam (vt horationis verbis vtar) inter minora sydera radios emittere. Licet enim medicina, Iurisq; prudentia præstantißimæ, & artes, & scientiæ ab om-nibus merito existimentur, existimandæq; sint, tamen, si atten-tius artem nostram considerabimus, illam non his inferiorem, sed præstantiorem, nobilioremq; inueniemus: nam nobilius est, perfectiusq;, fidei salutiq; publicæ prouidere, quæ & sanos & egros comprehendit, quod tabellionum ars efficit, quam quo-rundam corporis sanitati prouidere, quod medicina efficit. Itemq; nobilius est, iura, legesq; condere, quod tabellionis pro-pium est, quam conditas interpetrari, quod est iurisconsultorũ. Præterea (vt probat Aristoteles in libris, quos de moribus do-ctißimè scripsit,) illa, & ars, & scientia, nobilißima existiman-da censetur, quæ finem distinctum habet ab exercitationibus, & actionibus, & cuius finis in nullius scientiæ fine continetur, sed tantum in vniuersali omnium scientiarum fine: cuiusmodi artis nostræ finis est. Hec minus luce clarius apparebit, artem nostram eam esse, quam dixi, si in earum rerum circa quæ versatur, considerationem deueniemus. Cum, vt iuste Philoso-phis placet, ex maiori, minoriq; materiæ nobilitate, rei nobilitas crescat, & diminuatur. Nam quid inter mortales fide publica

nobilius in veniri potest? quid rebus illis cælestius, quæ fidem publicam conseruant? Sed vt ad definitionem deueniam scriba is est (scriba inquam, qui notarius, aut potius tabellio dicitur,) qui litteras, & rationes publicas, priuatasq; scribit, quiq; acta omnia in iudicio, & extra iudicium, notis, aut litteris excipit, insolemnem, authenticamq; scripti formam illa redigens, ad faciendam fidem: in cuius scripto iustissimo, sanctissimo, atq; firmissimo homines acquiescunt, & illi contradicere non licet, non possunt, sed nefas impiumq; est. Et scribarum aliqui, principum, regum, & Imperatorum, ac rerum publicarum patrum, à secretis sunt, & litterarum, in quibus illorum arcana, maximæq; res continentur scriptores, aliqui decretorum, constitutionum, edictuum senatus consultorum, priuilegiorum, & diplomatum, quæq; sunt his similia: cuiusmodi plures in rebus publicis, apud Romanum Pontificem, Imperatorem, & reges sunt: aliqui autem cætera, quæ ad notariorum officium pertinēt, conficiunt. Qui omnes tantæ sunt fidei, tantæ sanctitatis, integritatis, & excellentiæ, tantæq; dignitatis, vt quicquid ipsi scribunt, sanctissimum, iustissimum, atq; integerrimum apud omnes habeatur. Ipsi edicta, senatus consulta, plebiscita, decreta leges, & quæ superius dixi, aliaq; huiuscemodi dictant, & scribunt, quæ totum terrarum orbem regunt, instruunt, & sanctis admonitionibus, & præceptis imbuunt, malosq; pœnis à flagitijs terrent, & bonos ad meliora semper incitant. Eorum fides societates generis humani conseruat, & illarum (sicut temporum, terrarum, & syderum rector sol, mundi totius animus, & mens, lucem rebus ministrans, cœli tristitiam discutiens,) rectrix est, mens & animus, lucem illis ministrat, tristitiamq; discutit: Qua sublata & excellentissima virtus iustitia tollitur, & vitæ perturbatio sequitur, & maxima rerum omnium confusio.

fusio. Nam absq; fide, que potest esse sanctitas? que pietas? quæ religio? quæ vera societas? sublata quoq; fide non ne passim inter homines viderentur bella, prælia, pugnæ, odia, vulnera, discordiæ, dissidia, querellæ lamentationes, interritus? non ne libidines, adulteria, & intemperantia vbiq; esset? Ab ipsis notarijs reperta, (nam qui primi litteras inuenerunt iustissime scribas fuisse dici potest,) & conseruata sunt multis seculis litterarum præclara monumenta, illaq; scribendi maiestas, quæ, vt Ludouicus cælius rodiginus antiquarum lectionum libro secundo capite trigessimo quinto dicit, tantarum rerum scientiam nobis comparat, vetustatem propagat, nil sint interire, &, quod omnia conterit, tempus nostris cogitur manibus succumbere. Quid hoc magnificentius? quid æque mirandum? id esse homini datum, in quod ne mortis quidem auida rapacitas ius vllum habeat? quid tot, tantarumq; legum contexta volumina? quam demum ciuilioris vitæ preseruat eminentiam? quid dictorum, conuenctorumq; publicis tabulis comprehensa fides, aduersus ingeniorum prauitatem, hactenus cælius, per quę litterarum monumenta preclarissima, industria, virtus, & sapientia animis hominum inseruntur. B E N E. duo ex his quę dixisti duriora mihi videntur, vnum quod à secretis principum notarij sint, Alterū quod qui litteras inuenerunt scribæ essent. F R A N. vtrunq; verissimum est, Benedicte, nam si à secretis principum arcana principum sciunt, si sunt illi, qui per pacis, belliq; tempora, diplomata, & litteras subscribunt, vt videre est in nostra ciuitate, & in vniuerso terrarum orbe, si omnes homines scripto istorum credunt, quare ipsi notarij non sunt, & quod illi, qui primi litteras inuenerunt scribæ essent, aperte demonstrat forma tabelliones creandi, cum quis enim tabelliones creat, illis calamum, atramentariumq; insignum

notariorum artis dat, quasi illos in numero describat eorum, qui calamum, attramentariumq́; hoc est litteras quæ ex his conficiuntur inuenerunt. Sed vt ad aliqua minus vniuersalia descendam, & à cælestibus incipiam, tanta fuit, & est de notarijs cura Deo Optimo Maximo, tantaq́; Christo omnium redemptori, vt ille iustißimos homines, amicosq́; suos prophetas, officio scribæ fungi voluerit: ipsi namq; secreta, reconditaq́; arcana Dei sciebant, & hominibus, quantum datum erat, eisq́; licebat scribendo apperiebant, nullusq; inter omnes homines nisi qui notarius esset, illa dei arcana, prouidentiam, sapiētiamq; sanctißimam scire potuit, sed scribis tantum datum fuit hæc scire, hæc inquam ita altißima, vt cæteri homines illa à scribis audientes, non intellexerint: & Deus ipse rerum omnium Opifex, non ne officio scribæ functus est? cùm iudæis, populo suo dilecto, legem scriptam dedit, ab illis amandam, obseruandam, & metuendam, non ne postea iudæi lectores legum, & magistros illos summos, scribas vocare, qui vt Deo acceptiores, sacrificia faciebant, victimas, hostiasq́; immolabant: vt pote quia soli digni essent scribæ, qui religioni, pietati, sanctitati, cerimonijs, fidei, iureiurando templis, delubris, & sacrificijs preessent. Quod & apud antiquos Babilones obseruatum fuit, nam ipsi officium notarij sacerdotibus tantum, quos magos appellabāt. Committebant, aperte videntes, illud à sanctißimis scriptum esse oportere, cui ab omnibus fides esset danda. Et Christus acta sua, vitam, mortem, resurrectionem, & alia mirabilia à notarijs scribi permißit, quo enim euangelij scriptores officio functi sunt, nisi notarij? cui enim rei perinde creditur ac scriptis eorum? eodemq́; modo Iohannes apocalipsis scriptor à secretis scriba fuit, cùm illa mirabilia secreta, arcanaq; dei, tùm de futuro vniuersali iudicio, tùm de alijs scripsit, & qui tam accepius dilectusq́; Christo fuit, vt frater suus, filiusq́; Mariæ ab eo vocatus sit, quid omnes alij factorum Christi scriptores? non ne notarij fuerunt? vnde Romani Pontifices Ecclesiæ Protonotarios creauerunt, & creant, qui vitam mortemq́; sanctorum, ac dei martyrum scripserunt, & scribunt: vt potè quia soli essent digni suorum temporum scribæ, vt priores fuerunt, qui sacrosancta ista Ecclesiæ, deiq́; miracula scriberent, & quibus solum fides ab hominibus daretur, quorum nunc plures scimus esse. Cumq́; ipsi summi Pontifices indulgentias, aut diplomata concedunt, cum excomunicatos aliquos anathematizatos, impiosq́; decernunt, notarijs vtuntur, notarijq́; sunt, qui omnia ista scribunt, faciunt, & dictant, nullaq; ab hominibus illis fides daretur, nisi à notarijs facta cognoscerent. BENE. antequam quæso vltra progrediamur, responde mihi, nam postea quietiori sequentia audiam animo. FRAN. dic quæuis. BENE. sunt ne scribæ iudæi, de quibus paulo ante dixisti, scribæ illi, qui Christum occiderunt, peßimi homines, & nequißimi, qui dixerunt, sanguis istius super nos, & super filios nostros, de quibus Christus apud Mathæum dixit, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum: generatio praua, & adultera signum quærit: & cæci sunt, & duces cæcorum. FRAN. illi scribæ erant, officioq́; notarij fungebantur. BENE. & quæ laus obsecro est hec? imo ipsi soli causa potens sunt, ad omnia quæ de notarijs, & scribis præclara dixisti, offuscandum. FRAN. vide quid dicas Benedicte, nā deceperis. BENE. quo nam modo? FRAN. scribæ illi peßimi, qui Christum interfecerunt, nequißimi homines erant, nec digni qui scribæ essent, non propterea omnis scriba, diuinaq́; ars peßima erat, imo à deo ordinati erant scribæ, qui cæteris exemplar essent, qui

legem,prophetas,diuinaq; omnia populo legerent, qui sacris præessent:sed Christi tempore illi officio suo abutebantur, & sicut à deo creati erant, vt populum ad viam salutis instruerent,ipsi contrarium operabantur:non propterea (vt dixi) scribæ omnes,& officium ipsum culpandum est. Nam si dialecticam noris,ex quibusdam singularibus,nunquam conclusionem rectè infers vniuersalem nec ob id,quod ipsi mali fuerint, officium illud à Deo Optimo Maximo creatum, iudicandum est malum. Sed & Christus eos aperte dixit scribas veros non fuisse, sed fictos,cum de eis apud Matheum dixerit, quid me tentatis hipocritæ? & apud Marcum bene prophetauit Isaias de vobis hypocritæ:sæpiusq; similiter eos hypocritas vocauerit. Nam vt mali & pessimi erant, quærebant pessimam eorum vitam, flagitia,nefandaq; scelera,eo quod scribæ essent occultare,& tamen de quodam scriba,qui officium suum non pessime exercebat,dixit Christus apud Marcum, non es alienus à regno Dei. B E N E. diuinam scribarum artem esse dixisti, quod ego nunquam credam,diuinam enim esse dicerem,si deus ipse,non homines illam exerceret. F R A N. Nec deus ab arte notarij abhorret,tamen diuinam esse artem, scientiam ve dupliciter dici potest, vt ait Aristoteles primo Metaphisicæ, nam diuinam dicimus illam,(vt Philosophi verbis vtar) quam maxime Deus habet, rursusq; eam, quæ diuinarum est rerum:at ars nostra vtroq; modo diuina dici potest, nam quis ignorat Deum scire omnia?quis non scit Deum Maxime scire ea,quæ magis naturæ suæ similia sunt, & quę omnibus summopere prosunt?quidq; Deo similius est? quid omnibus vtilius? quam pura fides notariorum?& quis ignorat scribam in terris deum esse,cum omnia regat & moderetur. B E N E. aquiesco, tu alia prosequere. F R A N. omnes homines,qui legibus totum orbem direxerunt,qui rerum celestium rationem indagauerũt, & descripserunt,& qui demum rerum,artium, & scientiarũ, inuentores fuerunt, si officio notarij,& scribę, vsi non essent, nihil vtile produxissent hominibus,quod ipsi solum facere studerunt:& nunc omnes nos,aut scientiarum, & artium omniũ imperiti essemus, & aut nullus nostrum grammaticus esset, nullus rector,nullus logicus,nullus philosophus, nullus astrologus,nullus theologus,nullus deniq; scientiarum aliarum peritus,nullusq; iureconsultus, aut oporteret nos illas inuenire:at nunc,non quia illas inuenerunt, sed quia eas scribendo officio notarij functi sunt,nos absq; vllo ferè labore nostro, licet eorũ maximo, scientias omnes acquirimus. BENE. rem prorsus incredibilem narras,& si non omnibus saltem mihi. FRAN. quare. BENE. quia non omnes,qui scriptum aliquod posteris relinquerunt, scribas fuisse credo, nec mihi credibile alijs esse videtur. F R A N. vera dicis Benedicte,nec omnes illi scribę erant,at ego non de malis,& indoctis,sed de probis, & doctis loquor. BENE. ah sophistam agis nec omnes docti inquam, scribę fuerunt,quid enim commune habet aritmeticus, geometra, logicus, & theologus cum scriba tuo? profectò nihil. FRAN. erras,dic quęso,tu qui geometriam, & arithmeticam didicisti,cũ Euclidis & boetij precepta legebas, genera linearum & angulorum traddentia,cum de circulo,quadrato,triãgulo, scaleno, semicirculo, rombo, romboide, & parallelis scientiam audiebas, cum de numeris, generationeq; numeri, cum de multiplici & submultiplici, super particulari, alijsq; maioris, minorisq; inequalitatis speciebus, earumq; generationibus,si euclidi,& boetio non credidisses, illarum ne rerum scientiam vnquam assecutus esses. B E N E. nequaquã, tamen quare ego illis credere non debbeam,cum cuilibet exper-

eo in arte sua credendum sit, sed quorsum hęc? FRAN. hae probant euclidem scribam fuisse, cum id scripserit, cui tu, & omnes alij credunt: & similiter omnes alij aliarum scientiarum inuentores, & scriptores, & inter alios historiographi, ipso ad vnguem scribę officio functi sunt, ipsiq; verè scribę fuerunt. Nā nihil ipsi scripserunt, nisi quod posteris fidem faceret, quod tanquam falsum reici non posset, quod proprium est (vt dixi) scribę officium: vt pleriq; etiam populi aperte hominibus notificauerunt, antiquissimi precipue babilones, prisciq; nostri Genuenses, qui solum scribis historiarum scribendarum onus imponebant. Quare quicquid homines ab historiographis habent, id à scribis, & notarijs habuerunt, & quas, quantasq; res contulerint in homines scribę historiographi, nullus est qui nō sciat. Nam historia resgestas magnarum rerum publicarum, & principum narrat, & multa pręclara exempla proponit, quę in regendis rebus publicis penè necessaria sunt, & quibus incitari possunt animi principum, & senatorum, ad studium heroicarum virtutum: ipsa origines, & principia regnorum, & rerum publicarum, ipsa causas, quibus vicisitudines rerum in Imperijs, & grauissimę commutationes inciderint, demonstrat: quibus possunt homines rectè respublicas ordinare, ordinatas conseruare, & indies ampliare: ipsa nos admonet exempla bonorum hominum considerantes, quo pacto & nos fœliciter in republica versari queamus. Cū enim videmus magnos illos viros, nihil pręter publicam vtilitatem spectasse, iustitiam, & ęquitatem vnice coluisse, malefacta grauiter punisse, & imperia, & respublicas suas, munitionibus, potentia, religionis cultu, & bonis moribus meliora reddidisse, non ne & nos ad illa ipsa incitamur? si tyranorum exempla consideramus, eorumq; calamitosos excitus, & propter eorum crudelitatem pérnitiosos éuentus, & commutationes in rebus publicis exitiales, eorum inuidiam, odium, superbiam, non ne animus noster, bonorumq; ciuium omnium, à tyrannide abhorret? non ne in tyrannos nos incitat? pręterea cum videmus nullum impune euaxisse, qui contra magistratum rebelis extiterit, non ne ad magistratui parendum animo ferimur? Hęc tanta igitur in homines à scribis colata, si quis altius considerabit, cognoscet certè, iudicabitq;, non minus ipsos ab hominibus vt deos venerari, & illis hostias mactari debuisse, quam Cereri, quam baccho, quam palladi, quam alijs, qui ob vnicam tantum in homines vtilitatem, in deorum numero numerati erant, & tanquā dei collebantur, quorum numerus penè infinitus erat. BENE. mirum est Francisce deorum nullum, apud antiquos, aut pręsidem, aut inuentorem scribarum reperiri, cum oleę inuentrix Minerua, Cęres frugum, liber vini, Apollo citharę, alijq; aliarū rerum, & idem Apollo preses poetis, Mercurius mercatoribus, mars bello, & alij alijs reperiantur. FRAN. causa in promptu est: nam fides, aliaq;, quæ postea fuerunt, & nunc sunt scribarum propria, apud antiquos omnibus communia erant, qua de re (sepius enim illa, quę omnibus communia sunt, & quorumquisq; maximam habet copiam, vilia extimātur) notarijs certum deum non præposuerunt, quod si tunc in quibusdam solum ars ipsa reperta fuisset, proculdubio deorum hominumq; patrem omnipotentem Iouem, notarium fuisse credidissent. Nam omnia simul bona, ab omniū Deorum Principe proficisci iudicassent. Attamen & aliquas scribarum virtutes, in deorū numero descripserunt, antiqui enim precipueq; Romani, fidem, honorem, mentem, salutem, victoriam, concordiam, libertatem, aliaq; his similia, adorabunt, illisq; templa dedicabant, Sed ne in vna re tandem moremur, licet multa alia

de hoc dici possent, ad alia pergamus. Apud babilones omnium pene hominum primos, notarij, qui sacerdotes etiam seu magi erant, institutis hominum preerant, & augurijs, carminibusque sacris, mala hominibus auertebant, prodigia, & auguria fida interpetratione explanabant, ipsique soli sapientes erant. Et antiquißimi totius Italię populi, ita scribas honorabant, vt eos pares regibus existimarent: & merito existimarent, ipsique notarij purpura inducti, coronaque regali redimiti procedebant, regibusque pares, & ab hominibus ilio afficiebantur honore, quo reges, & vt reges metuebantur. Ipsi quid faciendum erat in Republica, & in illius administratione, ac in exercitibus imperabant. Ipsi erant in quorum nutu, & potestate omnia ponebantur, & per pacis, bellique tempora: quod declarat Mutij historia apud liuium libro secundo decadis primę, nam cum mutius Roma exijsset, & in castra hostium pergisset, vt regem porsenam obtrucaret, cumque duos prope stantes, & sedentes inspexisset, quos ornatos purpura, corona, aliaque regalia ambo reges demonstrabant, ipse scribam (nam vnus duorum erat) pro rege obtruncauit, vidit enim romanorum fortissimus illum omnes venerari, illum quid faciendum erat in exercitu præcipere, illum denique facie regno digniori, vnde priscorum mores sequentes Pontifex Maximus, Romanorumque Imperator, reges, & principes, ac rerum publicarum patres, omnes suas curas scribis, quos à secretis diximus, apperiunt, qui eos ne faciant admonent, cum dominandi cupidi, aut ira perciti, bella iniusta suscipere volunt, eorum cupiditatem, & iram peßimam esse, & rege homine non dignam demonstrant, & furorem leniunt, cum vero (vt sunt aliqui) ita ignaui sunt, vt non audeant se aduersus oppugnantes defendere, & iuste defendere, & cum de rebus suis desperát, ipsi hortando animos

confirmant, & ad se se defendendum exemplis, & rationibus suadent, illosque solantur: quod si non haberent, quam peßima eorum esset, curarumque molestium plena conditio? Nam scis Benedicte & omnes sciunt, quam recreatum, quietumque habeas animum, si hominem habes, cum quo cogitationes tuas, & solicitudines communices, cum quo totas tuas curas voluas, cui mestitiam & lætitiam impartias, & quem habent reges alijque, & quis ad hoc idoneus est, nisi scriba, & notarius, (quē secretarium dicunt) aut saltim qui notariorum, & scribarum officio fungatur. Et quanti apud Romanos essent scribę aperte dicunt, & testantur plures auctores, & Cicero (nam aduersarius, quem scis, pręter Aristotelem, & Ciceronem neminem ferè audiebat) cum in quarta in catalinam inuectiua ciuium Romanorum prestantißimos nominat, in his scribas vniuersos numerat, & scribę ea curabant apud Romanos, quę ad erarium pertinebant. Nec contrarius huic mos erat egiptijs, qui scribas sacris pecunijs preponebant: vt scribit herodotus, qui licet neque aphrorum, neque egiptiorum quemquam à se repertum esse dicat. Qui nili ortum scire fateretur, tamen in vrbe sai, à sacrarum mineruę peccuniarum scriba, audiuisse affirmat, & scribarum Romanorum fidei, vt sanctißimorum, & innocentißimorum hominum leges, & tabulę publicę commissę erant, quod demonstrat cicero in oratione pro milone, idemque in quinta actione in verrem testatur, magistratus omnes apud Romanos scribas habuisse, qui res in magistratu gestas in tabulas fideliter referrent, & malefacta magistratuum scriberent, vt postea punirentur: & eodem autore Imperatores superatis hostibus, & optime republica gesta, scribas suos aureis annullis in concione donabant, victorie premium, vt pote illos, qui preclaris consilijs, sanctisque admonitionibus, Im-

peratores in apertam redigissent victoriam. Præterea Aulus Gelius libro sexto si recte memini testatum reliquit Gn. flauium edilem curulem scribam fuisse, tantum quidem hominem, tantaq; dignitate decoratum. BENE. vnum solum Francisce inter tot Romanos refers, nec illos seruos nominas, qui notarij, scribæq; fuerunt: vt apud Horatium sarmentus: & tamen licet seruus esset, quæ conditio pessima est inter mortales, Cicerrus illi quasi dedecus obicit, esse scribam. FRAN. ego tantum vnum refero hominem Benedicte: imo plures, cum & plurimos possem, sed tu tantum vnum, nec plures referre potes, & cicero homini nequissimo, & impurissimo credis. Sed esto sarmentus erat scriba, quid ex hoc inferri putas, nisi quendam seruum, & vnum tantum scribam fuisse. Sed audi, cum Romani homines ex his ad huc essent, qui semen aliquod aurei seculi retinebant, non indigebant, in quacunq; re, maximeq; priuato notario. Sed quisq; sibi notarius erat. Nam cum testamenta, vel tabulas conficiebant, quisq; illa manu sua scribebat, & dictabat, officioq; notarij fungebatur. Et ideo tantum in rebus publicis, vt in errario, & in societate magistratuum scribis indigebant, & scribæ illi nobiles erant, ciuesq; Romani, vt superius demõstratum est. Sed cum in vrbe Roma, vt malijs, essent & homines plebei, indocti, tabulas dictare, & scribere nescientes, cumq; homines isti inter sese aliquando pacta firmarent, & testamenta conficerent, opus erat illis aliquo scriba, cumq; dedecori ascriberent veri illi scribæ, ea facere, dictare, ac stipulari, quæ homines ignauissimi plebis velent, illis scribas seruos suos esse permittebant, nec credendum est, imo absurdũ, & à veritate alienum videtur, quod senatus, populusq; Romanus, prætores consules, aut procunsules in aliquam prouinciam mitteret, & nobilissimos Romanorum mitteret, illisq; socios

tribueret seruos, qui eorum gesta in magistratu scriberent, imo vero simile, verissimumq; est, scribas illos magistratuum socios, ex Romanorum nobilissimis delectos fuisse. BENE. postquam de seruis mentionem fecimus, velem vt argumentum illud refutares Si potes, quod in principio nostri sermonis aduersus scribas protuli. FRAN. quale? & quod argumentum? ego nõ non memini, illud igitur iterum quæso replica. BENE. notarios dixi esse infelices, artemq; eorum pessimam, & hoc solum ad illud causandum satis esse, quod omnes serui publici sunt, quod enim nomen turpius? aut quod à quocumq; claro & libero exercitio alienus? FRAN. Tabelliones dicuntur (nunc enim memini) serui publici, (nam eos esse seruos verbis tantum clarum est) non quod serui sint, nec tali nomine digni (imo legibus cautum est, seruos notarios creari minime posse) sed dicuntur serui publici, (tanta est enim officij sui benignitas, tanta eorum humanitas, & tanta omnibus hominibus necessitas,) quia ipsi publicæ vtilitati, publicisq; commodis, & beneficijs seruiant, vnde leges tabelliones, non à seruando, vt vere seruos sed à publicæ vtilitati seruiendo, seruos appellari dicunt. Sed amicus ille noster, (quem scis) qui se maximum scribam profitetur, vt mihi sæpius dixisti, tibi alias hæc scribis obicienti, hoc modo respondit. Cum (inquit) in tabulis conficiendis opus sit semper stipulatore, cumq; aliquando, & sæpe conficiantur aliquæ absente illo, qui stipulari debet, constituti fuerunt antiquitus homines quidam serui publici, qui ab illis, qui tabulas fieri volebant vocabantur, vt ipsi serui pro absentibus stipularentur. Sed cum hominum malitia creuisset, ipsiq; serui publici sæpissime plura facerent officio suo non digna, & inhonesta, placuit hominibus officium illud ad alios vertere, illorum amplius non confidentes, cumq; animo voluerent cuĩ

cui hominum integerrimo, in corruptissimo, & sanctissimo, onus hoc, fidem, salutemque publicam imponerent, solos repe-ruerunt scribas ad hoc aptos: officium igitur seruorum illis de-legauerunt, hinc eos seruos publicos vulgus appellat: sed eo-dem quos supra modo dixi, respondendum est. Notariorumque nobilitatem, & perfectionem demonstrant legislatores, nam cęcos, surdos, stultos, & furiosos tabelliones fieri non posse decreuerunt. Cum ad officium omnium pulcherrimum, & ho-nestissimum, idonei tantum sint homines cordati, & qui nullo, aut animi, aut corporis vitio laborant: vnde nec fęmine ad id idoneę sunt, nam (vt omnibus notum est) fragilissimę sunt, nec scribarum constantię capaces. Vnde etiam hęretici à fideque no-stra sanctissima alieni, minime notarij creari possunt, imo post quam homines tabelliones sunt, si hęretici fierent, notariorum artem tunc amittunt. Nam cui fide carenti fides est adhibenda? vnde etiam falsarij, infamia ve aliqua notati, ab arte nostra exclusi sunt, & tandem, vt paucis magna comprehendam, ta-bellio recte is est, & fieri potest, qui ab omni, & corporis, & animi vitio, mundus sit. BENE. desine quales debeant esse ta-belliones mihi demonstrare, nam hoc postea dices, imo istud audire magnopere cupio. Sed antequam ad hæc veniamus, re-sponde quęso, mihi enim videtur (postquam tu queris quoduis legibus probare) quod imo leges tibi contrariæ sint, nam hisdē legibus etiam cautum est, clericos, monacos, religiosos, piosque viros notarios minime creari posse. vnde facilè vereque dici po-test, quod considerantes legis latores notariorum artem non esse eam, quamuis probare, sed nec mechanicis ęqualem, no-luerum homines sanctos eam exercere: cum tamen patiantur leges, & humanę, & diuinę eos mechanicas artes exercere, imo laudandi sint vere religiosi, qui post officia diuina recitata, & post studium, tempus illud non inquiete, inertique otio, sed in exercitationibus consumunt. FRAN. facile refutari potest hoc argumentum, & negari quod dicis, nam videmus contra-rium, & in curia Romana maximi illi tabelliones, & notarij, ac scriptores apostolici (vt dicunt) clerici antistitesque sunt, & licet leges eos esse notarios prohibeant, tamen si ob consuetu-dinem lex non est abrogata, saltim illi derrogatum existit, ne vniuersaliter totum artis officium comprehendat, verum cau-tum est, quod illi non possunt eam exercere partem, quę impu-niendis malis hominibus versatur, nam sacerdotes pijque viri, qui solent peccata penitentibus condonare, non recte crucificatio-nibus, & questionibus intersunt, imo ab omni cęde, & san-guine, ac macula manus mundas habere debent, studentque: nec possunt etiam tabelliones fieri, quia non sui, sed alieni iuris sunt, & notarij liberi nullique hominum subiecti esse debent. Propte-rea igitur illi arte nostra interdicti fuerunt, & huic credo abū de satis responsum, nec credibile est, quod notarij legis latores artem suam vt malā monacis interdixissent sed his de causis, quas superius dixi. BENE. innuisti superius at nunc aperte dicis, legis latores scribas esse, quod mihi omnino falsum esse videtur. FRAN. imo verissimum est, nam si notarij omnes le-ges singulares scribunt, & conficiunt, quæ inter homines totius terrarum orbis conficiuntur, si statuta, senatus consulta, & omnes leges municipales omnium vrbium, ciuitatum, & pro-uintiarum, vt clarum est omnibus, quare legum vniuersalium, & communium scriptores non sunt, cum ex omnibus singula-ribus recte conclusio vniuersalis inferri possit, licet leges quas communes appellamus, proprię populi Romani sint, & pro-pterea à scribis scriptæ, vt superius dixi. Sed (quod fortius est) cui scripto perinde creditur ac legibus? si legibus rem meam

esse probo, statim res mea ab omnibus existimatur, si hominem necandum esse leges dicunt, protinus necatur, si igitur tantę sunt fidei leges, à quo leges prouenire debent nisi à notarijs, cũ proprium notarij sit, (vt superius diximus) illud scribere, cui ab omnibus fides vbiq; datur. BENE. respondisti illi priori argumento, notarios dici seruos publicos, & publicę vtilitati seruire, igitur verum est eos, & dici, & esse seruos, cum iam affirmaueris eos seruire, nec id quod omnibus seruiãt, excusat eos, imo propter hoc peioris conditionis sunt, quam si vni tantum seruirent, nec possunt nomen illud infame fugere FRAN. iam satis superq; responsum fuit, dictumq; notarios non esse seruos publicos, sed dici, & propterea nomen infame serui, (si hoc verum est) illis non competere. BENE. dubitas an serui sint infames, quid nomine serui turpius? quid homine alienius? FRAN. nec notarij serui sunt, nec serui sunt ita infames, & turpes, vt dicis. Nam serui vt alij sunt homines, & vt refert macrobius libro primo saturnaliorum capite. X I. si recte memini, cum Romę Antonius quidam seruum suum crudeliter verberasset, indignatus ob hoc Iuppiter senatui per quendam retulit, crudelitatem illam sibi non placuisse, & antronio dissimulante filius suus subita occissus est morte, & ipse graui infirmitate grauatus, donec consilio amicorum lectica delatus senatui retulit, & tunc subito ab infirmitate liberatus est, vide quãta fuerit cura de vno seruo summo Ioui. Homines enim non natura, sed fortuna domini seruiq; sunt, & multi fuerunt homines, & reges, & Philosophi qui coacti sunt seruire: vt cresus, Darij mater, hectoris mater, Diogenes, & Plato. Quid? cum ipsi serui erant, existimandi ne erant non homines, quare liquido apparet in seruis liberos esse posse animos, cum tamen tabelliones, vt millies dictum fuit, serui non sint, sed

tantummodo serui dicantur, quia publicę vtilitati, publico cõmodo, communiq; saluti, & felicitati, studeant, & consulant: & quia mercedem antiquis temporibus de publico summebant. Quare ipsi fidei sincerioris alijs iudicandi sunt, veritatisq; amantiores, & non serui, sed benefactores publici, & quibus tanquam sanctissimo sacrario publica fides cõmissa sit. BENE. non ne notarij tabulas conficere nolentes cogi possunt ad illas conficiendas? clarum est igitur eos seruos esse. FRAN. potest quidem notarius cogi ad tabulas conficiendum, sed ob hoc seruus dicendus non est, nam qui non vult tabulas conficere, ille verus non est scriba, sed fictus. Vere enim tabellio nunquam recusabit publico bono prouidere, quod proprium illius est officium, quare non cogitur notarius, sed qui notarius existimari vult. BENE. hactenus Francisce de scribis illis locutus es, & de laudibus eorum, quibus clarum est nostri temporis scribas similes non esse, imo aliud erat eorum officium, & aliud est nostrorum. FRAN. imoquam simillimi sunt, idemq; scribę sunt, & hoc primùm tibi demonstraui. Si enim omnia quę dixi, considerabis, definitionemq; scribę, eorumq; omniũ scribarum, quos memoraui officium, profectò ita esse reperies. BENE. age sit vt dicis, tamen complures notarij, & scribę nostri temporis, quam ignaui sunt homines, indocti, abiecti, viles, contempti, quam turpe eorum officium ab omnibus existimatur, vt ab omnibus despiciuntur. Quare cum nũc officium tabellionis tam abiectum, & penè inhonestum sit, (boni enim scribę à malis numero vincuntur,) & cum omnes ita illud iudicent, non potest fieri, quod homo notarius non ita existimetur, vt officium & exercitium suum. Quapropter vel verissimis omnibus, quę dixisti, tamen miserrima est nostra conditio, quod scribas esse cupimus, non vt iam antiquis fuere temporibus, sed vt nunc

sunt. FRAN. imo ego totis quotidie conor viribus, ad hoc tantum continuis studijs occupatus sum, vt solum notarius euadam, non vt nunc pleriq; sunt, sed vt iam fuerunt. BENE. nullus erit tibi locus in vrbe nostra. FRAN. quare? BENE. quia notarij in vrbe nostra (bonis semper exceptis) viles sunt, & ignaui, indocti, & arrogantes, & penè stulti, miserrimiq;, (miserius enim stultitia quid possumus dicere) omnesq; demum Benedicto illo nostro, scis quem dico, similes. FRAN. Quamuis nunc in vrbe nostra tabellionum multi nihili existimentur, tamen si tempora transacta considerabis, historiasq; vrbis nostrę leges, & si quod de his à parentibus tuis audiuisti recordaberis, clarissime videbis, quod scribę in vrbe nostra fuerunt iam nobilissimis, & illustribus totius vrbis ciuibus annumerati, videbis qua maiestate, quo decoro, qua demum præstantia fulgebant, vt erant integerrimi ciues, vt amatores patrię, & videbis totum eorum exercitium honoratissimum fuisse, quod nunc tam vile esse dicis: quod & si verum esset, ipsorum tamen notariorum tantum culpa eueniret, & quare fieri non posse putas in vrbe nostra quod iam factum fuit, non ne & nos vt antiqui, & priores, homines sumus, non ne & ciues. BENE. quæ maiestas quæso scribis antiquitus attributa erat in hac vrbe? & esto quod esset, tamen nunc non est, & nos non honorati vt antiqui erimus, sed abiecti vt moderni, nisi putas tu solus præter omnium penè notariorum cursum, honoratam ingredi viam, artemq; eorum ita illustrem reddere, vt ad fastigium illud reddeat honorum, quod dicis, sed hoc fieri non posse puto. FRAN. hoc ego nunquam cogitaui, ne dum dixi, nec solus potis sum hoc facere, illud tamen affirmare possum quod si omnes qui post hac scribę erunt, in meam concurrent sententiam, forsitan artem posteris relinquemus nobiliorem, & illustriorem,

striorem, quàm nos acceperimus, si vnquam in illorum numero descriptus ero. Sed ista (cum nihil ad rem nostram pertineat) omittamus: non nescis in vrbe nostra scribarum artem fuisse inter cæteras præstantissima, non ne vnquam dicere audiuisti, antiquis temporibus ex ciuitatis gubernatoribus vnum ferè semper scribam fuisse, non ne vnquam senatus consulta vidisti aliqua ex antiquis nostræ vrbis, in quibus senatorum illius anni nomina descripta sunt, & in quibus est semper vnus eorum scriba, & non solum in senatu mos iste seruatus fuit, sed etiam in alijs quibus vis magistratibus, quem nunc quoq; ferè semper ex quadam antiqua consuetudine in aliquo magistratu seruari videmus, & quem vt in magistratibus à senatoribus, & republica creatis, ita etiam in magistratu diui Georgij, in alijsq; ab ipso creatis, seruatum aliquando fuisse scimus. Præterea scribę fuerunt in vrbe nostra, qui diui Georgij magistratuum libros, in quibus omnium locorum sacrorum res, priuateq;, & publicę pecunię continentur, scripserunt, vt nunc etiam scribunt, eisq; eo creditur, & publice, & priuate quod à scribis scripti sunt: & scribæ semper fuerunt (vt nunc etiam sunt) patrum reipublicæ, senatorumq; à secretis, & ipsi semper qui illorum nascentes curas susceperunt, & natas recunderunt, & sanctissimè custodierunt. Quod autem nunc pleriq; sint indocti, ignobiles, in honorati, & nullo decorati honore, non artis, sed ipsorum notariorum culpa euenit. Nam cum hominũ auaritia maxime, vt omnes sciunt, crescerit, notariorum quidam, (qui primum maiestate quadam decori, sese ab hominibus rogari, & penè orari patiebantur, & volebant,) ita hominibus se se submisserunt, vt illis obtemperando continue ciues, & homines rogauerint, quod ipsis potius, quam alijs vterentur, in conficiendis tabulis, vt es illud mercenario dignũ lucrarentur.

Et sic ars nobilissima notariorum, quæ potissimum ad regendas respublicas, ad bonum publicum seruandum, & ad omnia penè bona parturiendum, inuenta fuerat, quę tantum hominibus integerrimis, hominibus doctis, probis, & sinceris impartiebatur, eo processit, vt ipsa tantum propter questum exerceatur, vt lucri tantum causa ab eorum pluribus petatur, vt artes mechanicę. Et hoc non artis, sed fit (vt dixi) scribarum culpa. Cum tamen nec pleriq; nostri temporis notarij, scribæ sint, sed solum scribarum vmbrę. BENE. audi quæso Francisce non ne notarij antiqui mercedem accipiebant, non ne in litibus, & differentijs eorum ars versabatur, vt nunc versatur, quod solum potis esset ad totum artis decus abolendum. Nam quante, & quam magnę pestes in ciuitatibus, & prouincijs ipsis nascantur ab his litigiorum anfractibus omnes sciunt, & tamen ea notariorum est ars, ea gloria, ea laus, ea præstantia, ea maiestas. FRAN. maligni animi sententiam profers Benedictę, nam quod aliorum culpa prouenit, ex notarijs venire dicis, & quod ipsi occidere quærunt, tu ab illis nasci affirmas, notarij nunc vt antiquis temporibus circa easdem res versantur, sed prisci illi, vt publico potissimum bono prouiderent, vt salutem reipublicę augerent, nostrorum autem multi, & penè omnes, vt diuites fiant, vt homines exchalcient, vt illis aureos penè furentur: quibus nihil est miserius, nihil vanius, nihil perniciosius. Huiusmodi enim opes omnis flagitij magistræ, sunt, & ministræ, ex his nascitur amor sceleratus habendi, iniurię oriuntur, factiones pululant, furta, peculatus, sacrilegia, rapinę, latrocinia proficiscuntur, hę incęstus pariunt, hæ adulteriam gignunt, hæ stupra nutriunt. Et quod delitigijs dixisti falsum est, imo notarij & scribæ totis conantur viribus, omniq; conatu litigia extirpare querunt, quid est enim tabulas scripturasq; conficere, quam litigia, & differentias posteris auferre? ars igitur notariorum sanctissima est, nostriq; temporis scribæ causa sunt, quare viles existimentur. Sed si nos non vt multi ipsorum aurum aucupabimus, si salutem publicam, & reipublicæ queremus, vt prisci fecerunt & nostrorum aliqui faciunt, quare & nos illustres, & honorati non erimus. Antiquitus non dedignabantur comites, principes, & reges, nedum alij his inferiores, notarijs, tunc quidem illustribus, & claris, vti: nunc ad tantam ignominiam, ob pessimos plurium eorum mores, & institutum, deuenerunt, deductiq; sunt, vt dedignētur mercatorum minimi eis vti. Inde hodie videmus mercatores, aliosq; ciues per apochas, scedulas, & antapochas negotiari, tantūq; penè vtuntur scribis illi, qui scribere nesciunt. Quod tamen si recte considerabis, & animo volues, non turpiorem, nec viliorem, sed honestiorem, & illustriorem, artē nostram reddit. Nam cū honorati illi ciues, & mercatores, & quicunq; magni viri apochas, & scedulas inter sese, conficiunt, tunc officio tabellionis funguntur, quod nobis declarat, quanta sit artis maiestas, quæ sua met natura, homines istos rudes, & penè rusticos, qui nunc notarij sunt, (veros semper & optimos scribas excipio, qui nostris etiam reperiuntur temporibus) abhorret, & ad ciues illos nobiles transuolat. Quare & optima erit conditio nostra Benedicte, & in illorum honoratorum scribarum & rabellionum numerum ascripti proculdubio erimus, si vt prisci fecerunt, & nos fecerimus, si ad artem non obturpem quæstum, & auaritiam, sed ob bonum publicum primum accedemus, & si ea facere, discere, ac exercere conabimur, quæ ad optimum pertinent scribam, & hoc modo in nostra erit manu, nos honoratos tabelliones reddere. BENE. postquam coactus sum fateri quod vis velem intelligere, quibus artibus,

& disciplinis, & quomodo ad ea perueniemus quę honoratum
reddunt scribam. FRAN. sicut dificilimum est scribam perfe-
ctum inuenire, (nam si dificile est singulas disciplinas acquire-
re, quanto maius plures, & penè omnes, quę notario necessa-
riæ sunt) ita nec facile est eius artem, scientias, doctrinam, &
bonos mores exprimere, tamen ego paucis (vt dixi) magna re-
stringam, & eum vt mea fert sententia formabo. Pretermitto
eos ostendere, qui potestatem habent tabelliones creandi, &
illos, qui ab arte hac exclusi sunt, tùm quia de eis paulo ante
quædam diximus, tùm quia hæc omnibus nota sunt. Sed tantum
aliqua scribis potißimum necessaria explicabo, sine quibus
nec esse, nec apellari homines scribæ possunt. Duas autem par-
tes notarijs necessarias esse iudico, & ita necessarias, vt si quæ
ex his defecerit, aut perfecta non sit, notarius & scriba perfe-
ctus esse non poßit, quarum altera in moribus, altera in litte-
ris tota consistit, & hæc duo bonitas & scientia sunt. Memo-
riam aliaq; huiuscemodi in his semper intelligo, scientiamq;
nostro modo diuidens, in artis tabellionum scientiam distri-
buam, & scientiam aliarum rerum. Scientiaq; artis nostræ (nā
de aliarum artium scientia confusius agam, & aliquas tantum
exprimam breuitati studens,) rursus alia diuisione secanda est,
in praticam scilicet, & speculatiuam: bonitatem in notario in-
telligo morum probitatem, facilitatē, honestatem, & integri-
tatem, modestiam, & temperantiam. Mores pertinent eo, vt
quodcunq; faciet dicetue notarius noster modestiam quan-
dam, continentiamq; ac constantiam, in se habeat, ordinemq;
agendi aptum, & conuenientem, in quo splendeat illud deco-
rum, notario dignum, quod tùm imprudentium, tùm peritorū
oculos delectet, moueatq; in admirationem sui, nec austerum
tetricum aut dificilem esse volo, sed hylarem & comem, mo-

destiam tamen, mediocritatemq; secum deferentem, & quam
sit necessaria bonitas ipse notario, nec disputandum, nec pro-
bandum esse credo. Nam quantum mores illi agrestes, & ru-
stici, ab horreant ab omni viro ciuili, ne dum notario, omnes
sciunt: & notarius omnibus comis, & hilaris esse debet. Nam
rusticus, à principibus, & regibus reijcitur, nullius reipub.
patres, nulli principes, nulli homines, ad se vocant, & demum
omnes illum fugiunt: at ciuilis moribus honestis, à principibus,
& regibus, amatur, & honoratur, à secretis, & à scriptis elli-
gitur, ab omnibus demum summo collitur honore. Nec cau-
ponas nec meretrices frequentabitur scriba noster, nam mores
isti nedum à notario, sed à quocunq; vere homine alieni sunt.
Epulis enim vino, & alijs huiusmodi delitijs obruti homines
humi detinentur, totaq; aberrant vita, nunquam inferiore su-
perata, partem illam superiorem, & excelsam, aut attingere
aut suspicare possunt, nec rei verę cognitione se saciant, nec
integram, firmam, scinceramq; voluptatem degustant, sed ter-
restes mensas secuti se cibis ingurgitant, venereisq; rebus in-
uoluuntur, & pecudum more proni humum semper spectant:
at notarius disciplinas primum collere debet, quibus animus
totus meliori natura informatus, habitum recipit meliorem, &
prudentiam iustitiam, temperantiamq; acquirit, & tum corpo-
ris habitudinem, & vitæ cultum curare potest, non quemad-
modum voluptati ferinæ deditus vitam degat, vel viribus su-
peret, vel secunda valetudine, ac pulchritudine pręstet, si bona
hæc modestię, ac temperantiæ rationem addimant, sed ita vt
vitæ, & corporis cultus omnis, accomodari ad animi rationem
aptißime videatur. Præterea non solum sit comis, modesti ac
continenti vita, honestisq; imbutus moribus, sed integerrimis,
incorruptibilibus, & fidelibus, nam sine fide, nihil neq; probum,

neq; prudens, neq; liberale, neq; magnificum, verè potest existere. Et fides adeo notario necessaria est, vt non veriti sint quidam dicere, notarium absq; fide, materiā esse absq; forma: quod si forma res existunt, clare patet quanti sit existimanda fides à notario: at si tanti momenti fides est nos totis viribus primū nō curabimus, non curabunt scribæ, potißimum fideles esse? non ne fidem collent in tactam, sanctamq; custodient, & vitam potius sponte non amittent, quam quicquam non fidum, nec notario dignum facere? ò præclaram virtutem, ò cælestie dnoū, ò decus diuinum, ò solum inter mortales deorum specimen, & simulacrum, tu propria notariorum virtus eris, tu illorum forma, tu mater amantißima illos procrees, & generabis, tu vnicus totius mundi thesaurus eris, & cælo dignus, & in honesti turpes, & viles ab hominibus notarij, & scribæ veri filij tui existimabuntur, iurgijs & contumelijs insectabuntur, ab omnibus vilipendentur? ò indignum facinus, ò scelus sceleratum, ò nouum iurgiorum genus, ò iniquas calumnias. Sed quo transferror? fides inquam Benedicte notario per quam necessaria est, & ita necessaria, vt si ne fide ipsa, fieri non poßit, hominem notarium, & scribam esse. Quis enim absq; fide tabellio, omnibus perniciosißimus non esset? vita enim nostra nullo grauiore malo, nulla accerbiore peste conflictatur, & perturbatur, quam infidi labe. Hinc enim iuris, atq; iniurię parum ęquę descriptio nascitur, ex qua deinde in hominum vitam tot incomoda manant, irę, inimicitię, bella, cędes, vrbium, & nationum euersiones, cum popularibus, cum ciuibus, cum affinibus, cum cognatis, grauis sępe discordia, & deniq; hominum ad homines societas, quæ naturæ fœdere conciliata & sancta est, huius tanti mali pernitie violatur, & in totum pene disipatur. Sed vt faciliter animus scribarum fidelis perpetuo sit, ita liber ab iracundia, molestia, ab odio à spe, à gaudio, à mali & calamitatis metu, cęterisq; omnibus paßionibus, & factionibus, esse debet, ab alijsq; repętinis affectibus, intestinisq; pulsiōibus, vt clare appareat intuenti, motus illos animi quamuis incitatos, & cęleres, expectare tamen rationis imperium, tantumq; bonum, & salutem publicam respicere, & totis conatibus illud querere. Notariumq; castitatis, continentieq; custodem esse censeo, modestum, constantem virtutis obseruantem, veritatis amantißimum, & falsi totius mendatij, & ignorantiæ capitis inimicißimum. Nihil enim potest esse decorum, neq; splendidū, neq; sibi fidens, aut aduersus casum, & fortunam munitum, vnde absit veritas, quæ omnium cuius insedit in animo & cū quo sancto fędere copulata ast, dictorum atq; factorum fit particeps, & quæ admirabilem quandam auctoritatem, & speciem, prebet inter homines, immortalis dei. Ipsa enim veritas, (vt apud Iosephum Zorobabel post vini, regis, & mulieris vim, veri efficaciam explicans asserit) Deus ipse est, cuius terra cælumq; opera sunt, & qui immortalis æternus, omnia nutu, potestateq; sua regit, quod ęquum, quodq; pium est, respicit, impietatem odit, & scelera, quiq; omnia æqua lance expendit, rependitq;, vt quisq; meritus est, vel premia, vel suplicia. Nec maledicus, petulans, nec contumeliosus erit scriba noster, nec deniq; rem vllam turpem vel faciet, vel dicet: ista enim non notarij essent, sed qui notario contrarius est. Et demum ita se viuere instituat, vt sine vlla culpa, sine reprehensione, sanctißime, innocentißimeq; viuere videatur, cęterosq; homines vt persis mos fuit vera loqui docere debet. Et hæc de bonis moribus, bonitateq; scribarum dicta sufficiant. Et ad alteram iam partem accedamus. Erit primùm notarius, scribaq; noster facilis, elegans, & candidus, in dictandis tabulis, & scripturis,

ac facilis,& celeris in scribendo,omnesq; tabulas,& scriptu-
ras,ac testamenta,testimonia, & alios actus, & publicos, &
priuatos iudiciarios,& extra iudicium factos,dictare faciliter,
& scribere integros sciet,nec indigebit formularum libellis,
vt plerisq; nostri temporis scribæ,qui illas tantum scribere, &
dictare scripturas,tabulasq; sciunt,quarum exemplar libellus
suus est,& qui verbum aliquod immutare in scripturis nefas
esse putant,quod ipsi aliter scriptum in eo habeant: imo ad
verbum eas omnes ex libro summentes, scribunt,hinc veniunt
hinc nascuntur, hinc oriuntur, tot errores,tot inuolucra, quot
quotidie nasci videmus. Sed ne institutum meum defraudem
quod est laudare,non vituperare,extollere, non deprimere ta-
ceam,& ad rem reddeam.Erit etiam scriba legum peritus.Nã
si notarius conficere debet scripturas,in quibus pacta innientes
legum beneficia renuntient,& quę firmę perpetuis sint tempo-
ribus,in quibus etiam clausulas ponat legibus derrogantes, &
in alijs alię,in alijsq; alię apponendę sint,non ne opus est eum
scire leges, quas illi renuntiant? & quibus scripturæ validę
fiant,nam & si aliqui putant,non esse necesse notarium ma-
gna iuris prudentia preditum esse, tamen mea est sententia,
optimum fieri non posse scribam,nisi eum,qui iuris peritus sit,
& qui illa preditus sit iuris prudentia,quæ sufficit ad homi-
nem reddendum iurisconsultum. Cum maxime tabulas aliquã-
do conficiat,quarum stipulatores,& promissores ignari legum
sunt,aut pueri, aut adolescentes, aut mulieres, quas notario
opus est certas reddere,quod,& quale sit beneficium illud, &
lex cuius renuunt,quod certe nequit facere nisi sit iuris peritus.
BENE. merito possum hanc oppugnando sententiam di-
cere,opus esse notarium scire leges illas,peritumq; esse illarũ,
quarum beneficia in tabulis conficiendis renuntiandę sunt,non

autem omnium. FRAN. putas ergo benedicte tabullarum
formas,& naturas ad certum numerum restringi posse, erras
si istud putas,nam si penè infinitę possunt esse hominum mẽ-
tes, & modi tabulas scribendi, quare & penè infinita non
possunt esse tabularum genera,& si pene infinita, non ne in
his erit aliquando cuiuslibet legis beneficium renuntiandum?
sed esto,sunt finita & terminata, tamen non ne clarum est,
interpetrum legum,in vna,eademq; re diuersas, & contrarias
esse sententias,iurisq; peritos illi credere sententiæ,quę commu-
nis (vt illi vocant) est,at si in tabulis conficiendis opus est ali-
quid renuntiare,non ne oportet illud facere, secundum senten-
tiæ comunis intellectum.Quare liquido apparet, notarium tota
iuris prudentia præditum esse oportere.Ad alias autem scien-
tias tendens, nam de iuris prudentia hæc satis sint, scribam
præter hispanam linguam,germanam, gallicam, & etruscam,
literas scire debere dico,latinas,& græcas,& hebreas,omniq;
ipsarum linguarum, literarumq; genere eruditum esse, nam si,
archigrammateis, aut scribis ab epistolis, nostræ Reipublicæ
patrum, quotidie literæ ab omnibus mundi partibus redditæ
sunt,& ipsi plures ad Gallos, Hispanos, etruscos, & germa-
nos sepemittunt,si recte officio suo fungi,si literas illas dictare
volunt,non ne oportet eas omnes scire linguas? & quod illa-
rum periti sint? vtq; prothonotarij Ecclesiæ recte officio suo
fungantur,sacraq; voluent volumina, & vt alij scribæ histo-
rias legant,quæ eorum arti vtilissima sunt,& pene necessaria,
non ne necessaria erit hebrearum,grecarumq; literarum cogni-
tio?cum omnes ferè scribæ antiqui,tum celestes (prophetas in-
quam & euangeliorum scriptores (tum alij,hebraicè & grecè
scripserint.Nam psalmi totumq; vetus testamentum, ac maior
pars noui, hebraica ac græca lingua scriptum fuit, & græci

historiographi, ac hebræi, lingua sua historias scripserint, quo-
rum maior & maxima pars apud ipsos est. BENE. vera qui-
dem sunt quæ dicis, tamen cum omnia iam latinis donata sint,
solum scribis latina lingua necessaria est, aliæ vero minime.
FRAN. licet omnia iam in latinum sermonem versa fuerint,
tamen nunquam ea ita recte intelliges, nunquam te ita dele-
ctabunt, vt si illorum, qui scripserunt lingua legeres: quamuis
præterea multa sint & græca, & hebrea, quę non facile latina
transformentur, precipueq; in sacris literis, in quibus quodlibet
verbum diuinitatem quandam præ se fert. Quare satius erit illa
lingua sua legere, & notario nostro dignius. Erit præterea no-
tarius noster orator optimus. BENE. mihi videris Francisce
hunc tuum scribam perfectum, & ad vnguem factum homi-
nem velle dicere, quo non perfectior alter, sed ad quid opus est
oratoria arte notario? FRAN. ad quid queris? non ne ars
oratoria notario magis necessaria est, quam que vis alia? ipsi
sunt benedicte, qui literas, decreta, diplomata constitutiones, &
alia huiusmodi dictant, quæ si ea considerabis, non recte confici
possunt ab oratoriæ artis ignaro, & eos oratores esse non
oportet? ipsi sunt scribæ, qui principibus, & patribus, quid fa-
ciendum sit in republica demonstrant, bona suadent, mala dis-
suadent, quæ non facere possunt, affectusq; mouere, nisi orato-
res sint, imo proprium est oratoris hoc facere, & oratores non
erunt? cum maxime notarijs in cœtu hominum, & cum pluri-
mis viuendum sit, & ipsorum omnium studiorum vtilitatem,
officiorumq;, cum hominibus communicatio facienda sit: nam
ad humanæ vitæ societatem, apte commodeq; gerendam, nullũ
instrumentum est ornata oratione præstantius. Nec minus
necessaria est dialectica, sine ipsa enim reliquas disciplinas con-
sistere, & inconcussas permanere non posse omnibus est ma-

nifestum, quis enim nisi dialecticę artis instructus, vel vllius ar-
tis principia, & causas norit, quis differendo de quacunq; re si-
ne errore verba facturus est, nisi antea omnia definitione, &
certis terminis circonclusam rei notitiam dirrectrice dialectica
perceperit? nisi quæ rerum genera, quę species, quę differentia,
quę accidentia, vnamquamq; rem consequantur, quid coniun-
ctum, quid separatum, quid affine, quid repugnãs sit animo
comprehendat? quę omnia dialectica latissimę explicat, & sola
docet. Preterea non potest perfectus orator euadere, nec ad
cognitionẽ vllius disciplinę peruenire, nisi dialecticæ methodũ
ingrediatur. Nec mirum, cum omnes disciplinę adminiculo, &
instrumentis dialecticę inuentę sint, & ipsa ad omnium scien-
tiarum principia habeat viam, ac ne potuerit quidem fieri, vt
vlla ars esset, nisi per dialecticam in ordinem, & formam reda-
cta, quod etiam testatur cicero libro primo de oratore, (Ari-
stotelem aliosq; pretermitto, nam pluribus notarijs notiris ne
nomine quidem noti sunt,) nec ipsa iuris prudentia, & illius
vsus, recte constare potest, nisi dialectica adiuuet, vt ait idem
cicero in claris oratoribus, cum de scęuola loquitur: nam ma-
gnum iuris ciuilis vsum non effecisses (inquit) nisi eã pręterea
didicisset artẽ, quę docet rem vniuersam distribuere in partes,
latentem explicare definiendo, obscura explanare interpetran-
do, ambigua primum videre, deim distinguere, postremo ha-
bere regulam, qua vera, & falsa iudicarentur, & quę quibus
propositis essent, queq; non essent consequentia. Hic etiam at-
tulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad
ea, quę ab alijs confuse, aut agebantur, aut respondebantur,
quam quoq; artem totius philosophię organum, antiqui philo-
sophi vocauere. Nam sicut nemo suam artem exercere potest,
nisi instrumentis, & armis sui artificij instructus, ita nullus

absq; dialectica recte philosophari potest ipsaq; sola (vt ait pla-
to) conatur recto ordine ad inueniendum quid vnumquodq;
sit, ac re vera animi oculum luto barbarico obruptum, pau-
latim sursum trahit, ac ducit, ne ignorantię cęno demersus
maneat, qua ignorantia quid potest esse turpius quid nota-
rio nostro indignius? BENE. maioribus quidem laudibus
Francisce dialecticam extollis, quam mihi par esse videatur.
FRAN. imò nec tantis, quantis meretur, non nescis illam
animum ex vmbra in lucem, & ex antro in solem produce-
re? non nescis esse illam, quæ à Platone apex & fastigium
in omni genere disciplinarum nuncupatur? quę à stoicis inter
virtutes annumerata est, & ab eisdem nerui, & ossa philoso-
phiæ nuncupata, quę omnes alias artes tueatur, & qua sola
mediante ad altiores, & superiores scientias deuenimus? &
sine qua oratoria ars, qua plurimum noster notarius indiget,
manere non potest. Imo ita inter sese coniunctæ sunt, vt nul-
la ipsarum perfecta inueniri possit, nisi ab alia societur. Sed
vt ad alia deueniamus de dialectica taceam: nam iam ferè
tempus est finiendi, philosophiæ studere debet potissimum
scriba noster, nam philosophia si moralem consideramus, ani-
mum firmat, & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agen-
da, & omittenda demonstrat, & sine hac nemo securus est,
ipsa est regalis illa disciplina, & ad bene viuendum, & di-
cendum reperta. Si vero naturalem aliamq; consideramus,
ipsa est, quæ nobis causas rerum demonstrat, quæ animos ho-
minum ab inferioribus ad superiora trahit, quæ nos ad ho-
mine vere probo digna facciendum suadet, & docet, quæ
omnia maxime scribæ conueniunt, & ita conuenient, vt sine
ipsis, nec rectos habere mores notarius possit, nec ea, quæ illi
necessaria sunt. Philosophia enim est, non solum intelligendi,

& agendi faciendiq; magistra, sed etiam fidei, officij, & in-
tegritatis, hæc constantiam, firmitatemq; in bonis moribus
affert, hæc copiam, vbertatemq; rerum, & sententiarum ora-
tioni suppeditat, hæc efficit, vt scribæ animus nunquam fortu-
ne cedat, non secundis, non aduersis rebus promoueatur. Hæc
rerum omnium, quarum ad alendum beatissimam vitam vsus
esse potest, inuentrix est. Hæc est illa, in qua fortunis scribæ
portus constituendus est, sub cuius dictione quic quid in re-
rum naturis tractandis, noscendisq; versatur est, & cuius lu-
mine, tanquam veritatis radio illustratur, hæc humanæ naturę
perfectrix est, rationis beatæq; vitę largitrix, in qua non solum
scribarum sedes constituenda est, sed omnium consiliorum
domicilium colocandum, sine qua nihil ad illius salutem, tran-
quillitatemq;, nec ad animi sani voluptates capiundas est vtile,
& sine qua nedum notarij, sed nullius hominis vita, nec sa-
piens vnquam, nec beata esse potest. Philosophia enim omnium
mater artium, quid est aliud nisi (vt plato ait) donum, vt ego
(inquit cicero primo tusculanarum) inuentum deorum, hęc
nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod
situm est in generis humani societate, tum ad modestiam,
magnitudinemq; animi erudiuit, quę quoniam clarissima sunt,
& nemo negat omittam, cum tempus breue hoc etiam sua-
deat, ad poeticamq; transeam: quam notario nostro, quem
iam oratorem formauimus, necessariam esse oratores, & ipse
cicero demonstrat, sępe enim pacuuij, Ennij, Actij, lucilij, Te-
rentij, cecilij, & aliorum versus orationibus suis inserunt,
summa illa non modo eruditionis gratia, sed etiam iocun-
ditatis, cum poeticis voluptatibus aures à forensi asperitate
respirent, quibus accedit non mediocris vtilitas, cum senten-
tijs eorum velut quibusdam testimonijs, quę preposuere con-

firment , pręterea ex poetarum lectione, (quorum plerique, vt oratorum dialecticorum , & philosophorum, inter scribas numerandi sunt) incitabitur scriba ad ea , quę maxime expectenda sunt, hoc est , ad laudem & honestatem. Nec hoc notario nostro (vt ille aiebat) dedecus est , nam quam illustres homines sint poetę omnes sciunt , attestanturque multi , inter quos cicero in. 4. libro de finibus,& in. 1. tusculanarũ, dũ poetam graue, plenumque carmen sine cęlesti aliquo mentis instinctu, fundere non putat , & cum Diuinus plato poetas deorum filios esse dicat, omnesque non arte, sed diuino afflatu, poemata illa pręclara canere , poetarumque genus sanctum semper, & dijs amabile habitum est. BENE. intellexi platonem poetas à sua Repub. amouere , & tu platonem eos laudantem dicis, at id licet verum sit , quomodo eos ab eodem defendes. FRAN. facillime defendi possunt. Nam considerans plato, poetas diuino spiritu, diuinisque tonis , & numeris aures hominum , sensusque corripere, animos promissere, vt illis non possit obsisti , in quamcunq; impulerint partem, cum videret plurimos poetarum in puros esse versificatores , omniaque scurrilibus probis miscere à Repub. sua poetas abire iussit , sed illos , qui in demulcendis auribus tantum versantur , hi enim bonis moribus inimicissimi sunt , nec poetas solum, verum etiam pictores, & id genus hominum , & non omnes , sed illos, qui peruerse, libidinose, lasiue, illiberaliter,& turpiter, aliquid vel facerent, vel scriberent , ne homines quasi per herbas noxias vagantes , paulatim ad id animum adhiberent. Tamen ne à re aberrare videar , dictum istud sufficiat , Platonem nonde poeta oratore philosopho & scriba vt noster est , loqui , vt dijs fauentibus forsitan latius tibi explicabo, cum tempus aliud à negotijs vacuum datum erit.

BENE. Istud opto magnopere , nam nihil est, quod mẽ magis delectet, quam inter nos huiusmodi de rebus confabulatio. FRAN. nunc dixisse sufficiat, doctissimum poetarum Genus, apud gręcos doctorum antiquissimum fuisse , vt attestatur cicero libro. 1. tusculanarum, in quo multa alia de poetis pręclara scribit. Et vt ipse in oratione pro archia inquit , poetica studia omnium ętatum sunt, nam adolescentiam agunt, senectutem oblectant: sunt temporum omnium, nam secundas res ornant , aduersis profugium & solatium prębent : sunt locorum omnium, Nam delectant domi, suauia sunt militię , nobiscum morantur, nobiscum rusticantur, quod affirmat etiam quintilianus libro. 1. probans oratorem absq; poetica non esse quemquam , grammaticam diuidens in duas partes, in recte loquendi scientiam,& poetarum narrationem, quę plus habet in recessu, quam fronte promittat: quo minus (inquit) sunt ferendi, qui hanc artem vt tenuem & ieiunam cauillantur , quę nisi oratori futuro fundamenta fideliter iniecerit , quicquid superstruxeris corruet , necessaria pueris , iocunda senibus, dulcis secretorum comes,& quę vel sola omni studiorum genere plus habet operis , quam ostentationis , & quis dubitat poetam ipsa natura effingi, (poetę enim nascuntur) & diuino afflatu fieri? sed etiam scriba noster musicus , arithmeticus, geometra , & astrologus erit. Nam musica illius animum ab agresti illo, rigidoque sensu, ad vrbanitatem flectet, & ne molitia nimia perfluat, virtute & constantia vinciet. Arithmetica ad accuendum, excitandumque ingenium pręcipue idonea est , & mentem à corporeis abstrahit rebus , & ad meliorem sui met visum conuertit, sine qua nec musica , nec geometria, nec Astrologia, aliquid efficere potest. BENE. iam

Francisce (nam nox accedit) nunc hęc missa faciamus, alias enim cętera dices, scribamq; tuum perfectiorem formabis, nunc spatiatum aliquo eamus, animi nostri recreandi causa. FRAN. *libentißime, nam hoc ego optabam, iam enim loquendo deffatigatus sum, eamus, & post alio commodiori tempore finiemus.*

CVIVSDAM SCRIBAE SVMMIVM AD NICOLAVM ZIGNAIGVM EODEM AVTORE.

ACcipe quid viuens in summis viderit olim
(Quę scis) scriba, tuis postquā detētus amenā
Linquisti patriam studijs, dulcesq; penates:
Forsitan illius nam delectatus honore,
Tu scribam fieri Cupies, nec linquere leges
Te iubeo, nam scriba potest de iure peritus
Esse, licet legum dictis incumbere solis
Statuerit, totum & ęuum consumere in illis.
Scriba expeditus curis, menteq; quieta,
Per campos solus, dum longe ex vrbe vagatur,
Campos, antiqui quos iam tenuere parentes
Olim, tunc animo, & mente, is querere primum
Artibus incępit, quibus consummere tempus
Æui deberet, quibusq; incumbere totus.
Namq; iugo liberatus eo (nam cętera nundum
Nouerat archana, & quę te nouisse iuuabit)
Nundum passa iugum, iam iam sua colla subire
Tempus erat maius longum, & graue pondus habēti:
Summo cumq; domo vicina in pascua mane
Et Nemus vmbrosum, trabibusq; ingentis opacum
Pergisset, tetris & ad huc extantibus vmbris
Interris, paruum postquam sudauit eundo,
Vicinosq; fuit colles peragratus amęnos,

Optate ipse dedit sedendo membra quieti
Innixus trunco quercus, scribeq; stupentis
Obiecit se tunc occulis, iam mortis imago
Pallentis summus, tum dulci victa sopori
Membra dedit victus, quę sumnus vincere nunquam
Ante acta potuit nocte labente priori.
Purpurea clarus tunc Rex, auroq; decorus,
Veste Deus, ciuis summi lucentis Olympi,
E cœlo ante occulos ipsi descendit, at illum
Reddebant medium, magna sequente caterua
Cęlicolum pulchrę comites, illiq; sorores.
Illi vestis erat splendens, auroq; rubenti
Regalis, gemmis cœli lucentibus altè,
Atq; corona caput clarum, distincta smaragdis
Cingebat, pulchrumq; manus diuina tenebat
Sceptrum ingens, arte & multa testante Deorum.
Diuina & facies illi, diuinaq; membra,
Diuinus vestitus erat, diuinaq; circum
Aethera spirabant, diuinus deniq; totus.
A Destris virgo pulchra est, pulcraq; iuuenta
Pulchrior, & ipsa est diuina, altiq; tonantis
Filia, candenti & clara circundata palla,
Alba pedes, atq; alba caput, candensq; coronam,
Totaq; splendebat, per longe candida tota,
Atq; sui similis, turpem lęuissima labes
Nec reddebat eam, sed cœlo clarior ipso
A destris erat, & regem comitabat euntem.
Illi parte alia stabatq; simillima virgo,
Vestis quam similis tegebat alba decoram,
Ambę diuinis occulis, vultuq; modesto,

Illum spectantes, at Rex, albęq; sorores,
Ad scribam mouent lento vestigia passu,
Acceduntq; prope: tunc Rex sic ore locutus,
Macte noua virtute puer, nobisq; virorum
Mille inter tot carus, & alter carior omnes,
Neu timeas, ast ipse puer mirabere forsam
Cur diuina cohors nostra hęc, delapsa sereno,
Cœlo, ad te venerit nunc, sed iam desine quęso
Pertubare animum iuuenis iam iamq; labentem,
Nam ni sancta ferunt ad terras numina nunquam
Ergo audi in terras quę nunc fœlicia porto
Cœlicolum non forte minor, sic ore locutus
Illius accepit dextram, & solatur amicis
Dictis ancipitem, & quoq; nunc diuina stupentem.
Tunc deus est clara, ac est manifesta tuorum,
Anceps summa mihi, & voluntas consiliorum,
Quod genus & vitę, mortisq;, artisq;, sequaris
Tu decreuisti nundum, nam scribere semper,
(Quod fuit atq; tui proprium, primumq; parentis,)
Nundum laudasti, nundum cognoscere veram
Nequistiq; virûm vitę, certamq; quietis.
Fac igitur animam teneas, ab ęthere summo
Descendisse tuam, & summi formata deorum est
Voluntate patris, cœliq; simillima clari
Diuis, sed postquam cancrum relinquit, & imas
Incepit terras habitare, ingressaq; corpus
Est, vera & sancta è tunc libertate deorum
Ebrietate noua trepidans fit serua, fugitq;
Diuina, ac haurit tunc cœli obliuia longa,
Postea sed studijs partem reminiscere datum

Est tibi eorum quandam, que nę noueras ante,
Cuius vera quies, vita & reuertere coelum est,
Atq iterum has habitare domos, quas linquerat ante,
Quod datum est illis tantum, quę corpore strictę
Terrena linquunt opera, & cęlestia semper,
Atq imitantur, agunt, semper cęlestia querunt,
Vt igitur possis cęlum hoc habitare serenum,
Atq Galaxian, nostrûmq habitacula coeli,
Expedit & totum te non sordescere facta
Corporea, & terrena simul, sed fonte rigatus
Virtutum, coelum nec deseruisse videris:
Artem inter similem & vestras elligere totas,
Rectori summo, dominoq micantis Olympi,
Sed quia mortales nulla est perfectior inter,
Artes illa cui quam pręsum, quamq priores,
Exercere tui, & nulla est illustrior, atq
Nulla est, quę à terris ad coelum errigere clarum
Mortales possit, vestrorum & tollere mentes,
Artem igitur nostram exerces, sed dicere primum,
Mens est, qui sim, sit q mea coniunxq, sororq
Quas vides, mentem nostramq apperire videnti,
Sum septenus ego diuus, cęlestia & ipse
Natus summo habitans è patre habitacula coeli,
Et scribis pręsum, & doceo omnes scribere scribas,
Virgo hęc quam vides, nostra est dulcissima coniunx
Retinet & patris formam, hęc è monade summa
Nata est, quę mare quę terrasquę flectit Olympum
Nutu, quam coeli stellę, & cęlestia adorant,
Hęc soror est nostra, illamq ipse ego monade sola
Vinco, cęlicolum sola pulcherrima virgo

Diuarum, coelum vincens splendore serenum,
Bis sequitur bina & bis sancta, collendaq virgo,
Quę nunquam coelum nisi sociata mearum
Quibusdam linquit, nanq extrudere stupentem
Illam extra hunc mundum mortales deniq toti,
Et mortales omnes conspectus fugit, illa at
Solum habitat diuos inter, scribasq togatos,
Nec referam istorum sociorum nomina nostrum:
Sed nunc, iam missis his, artis dicere nostrę
Incipiam laudes, maiestatemq decorem,
Quęque tibi sit dicam ars hęc paucisq docebo,
Ipsa est cęlestis summi donata parentis
Missa ad mortales mundi cęlestis imago,
Quę patrem in terris referat cognomine sanctum:
Atq instrumentum totius integritatis
Sit, totos inter populos, interq togatos,
Nam licet à summo tractentur omnia patre,
Atq in solius consistant omnia nutu,
Ipse regit rerum multarum maxima partem,
Per quę decreuit plura instrumenta, ministros,
Hinc dicunt orbes cęlorum flectere vestra,
Inferiora suis causisq exire supremis,
Vt igitur rector coeli est, & causa sereni
Maxima, quiq regit solus magna omnia, quiq
Officio fungi docet omnes, atq decore,
Quenque vti exemplar quęrunt imitare deorum
Recti homines, illi inquo contemplare micante
Possunt virtutes omnes, causasq bonorum,
Sic scribę in terris moderantur omnia, sicq
Sunt hominum causę verę exemplarq bonorum

Et sunt scribarum regna hęc, vrbesq;, viriq;
Nulla interq; omnes artes attingere sanctam
Nobilitate potest scribarum, nullaq; toto
Vnquam est inuenta hac nostra perfectior orbę,
Artes quid retinent alię nunc namq; decoris,
Et laudis, totum à nobis mutântur honoris,
Et quasi sol claras omnes sui lumine reddit.
Vtq; occulis clara hęc sint manifesta tuisq;
Demonstrabo locum, quo totam viuere vitam
Sunt soliti scribę, qui terrę corpora linquunt,
Et dicam coeli sedes, & gaudia lęta,
Post mortem quibus gaudent vitaq; beati,
Et postquam in coelum iam migrauere priorem,
Vt statim sursum ferriq; & tendere possunt.
Aspice coeli alta clara atq; habitacula clari,
Vltra solem, lunam & claram, & sydera stellas
Errantes, prope aplanem, & cęlestia Regna
Vnde omnes facile videntur sydera coeli,
Ac vbi stelliferi cursus auditur acutus,
Lunarisq; grauis, dulci modulamine cantus,
Hęc est scribarum sedes, eo pergere datum est
A superum summo scribis, ea data facultas.
Est tibi pergendi, si nostra hęc facere dicta,
Vitę & volueris veram decernere partem,
Contemplantur vbi patrem omnipotentis olympi,
Tumq; hominum diuumq; simul, tum cętera clari
Numina, diuina coeli quoq; vera micantis,
Vnde his accedunt ingentia gaudia queq;
Non possunt terrę mentes videre virorum,
Namq; bona hac facie in illius maxima vident,

Cognoscuntq; sua illi hinc omnia nascere recta,
Artem igitur nostram capies, nostramq; sequare
Mentem, ac nobilius totis hunc artibus, atq;
Sanctum exercitium, sedemq; expecta deorum,
At dum in humanis vitam agis, victaq; fruaris
Exerce, & dic, quę diui dixere, tibiq;
Mandauere tui memores, memoresq; tuorum.
Vnde anima hac posit tua tetra morte resurgens,
Cęlicolum sanctorumq; alta habitacula patrum
Ire, & supremas sedes penetrare deorum,
His dictis terram linquit, coelumq; petiuit,
Et scriba est sumno tunc experrectus acuto.

F I N I S.

